

vis apud Theologos eò nomine non multum gratiæ iniverit, ità ex immotis Philosophiæ fundamentis explicat ac demonstrat, ut paucis tantùm immutatis, atque additis, nihil amplius animus veritati sincerè deditus desiderare possit: quod & nobis ostendere non difficile foret, si instituti nostri ratio id impræientiarum pateretur. Quicquid sit, hoc saltem, quod contendebamus, manifestum evadit, scilicet & hunc in S. S. Triade explicandâ, & illos in propugnandâ atque oppugnandâ Philosophiam in subsidium vocâsse.

Atque sic tribus his exemplis probationi finem imponimus, ac simul etiam priori nostræ Exercitationis parti, in quâ propriæ sententiæ explanationem ac demonstrationem promiseramus.

C A P. VII.

1. *Munus illius, qui quid auctoritate alicujus scripti probat.*
2. *Quid sit vera sapientia, quid apparens.* 3. *Philosophiam & sapientiam veram in Scripturis non damnari à Paulo*
1. *Epist. ad Corinth. quibusdam locis cap. 1, 2, & 3. occurrentibus.* 4. *Nec etiam cap. 2. vers. 14.* 5. *Denique nec Epistol. ad Colossens. cap. 2. vers. 8.*

Sequitur nunc, ut ea, quæ nostræ sententiæ objici possent, examine- mus, ac diluamus. Hæc autem duum sunt generum, vel enim è S. Li- teris petuntur, vel extra illas sese oggerunt. His sequenti, illis, quod jam præ manibus est, capite respondebimus. Multa in Dei verbò reperiuntur loca, in quibus Philosophia, aut Sapientia (hæc enim, quamvis differant, vocabula, eandem tamen designant rem) à S. Scriptoribus damnari videtur, atque rejici, non tantùm tanquam cælesti doctrinæ inutilis, sed etiam noxia: quæ omnia malè intellecta, atque explicata, Adversariis ansam possent præbere sententiam nostram oppugnandi, ac tanquam divinis eloquiis contrariam explodendi; quam ne improvidi nimis, ac præcipi- tantes arripiant, nostrarum partium esse duximus impedire, quod, ut com- modè fiat, paulò altiùs rem ordiri libet.

1. Quicumque, uti decet, auctoritate alicujus libri sententiam suam certò adstruere contendit, scopum feruisse nequaquam censendus est, si solum- modò quædam inde adducat loca, in quibus eadem, aut similia, quibus suam mentem expressit, reperiuntur vocabula, aut etiam quæ id, quod ipse statuit, innuere videntur: Sed prætereà ipsi demonstrare incumbit, istis verbis idem id, quod illis probare molitur, innuisse, atque expressum vo-
luisse